

C O P I A

45

# L I T E R A R U M

Q U I B U S

## Dissidentes in rebus Fidei

ab Ecclesia Catholico Romana, in Regno Poloniae Ma-  
gnoque Ducatu Lithuaniae, ad fraternam cum eadem  
reconciliationem invitantur

NEC NON

*Dissidentium ad eandem Responsi.*



Dantisei Anno M D C XLV.

# Typographus Lectori S.

**N**ON te latere potest, post tot Colloquia de Religione Charitativum (ut vocant) in Polonia tentari Colloquium, utpotè cujus fama uni versæ Europæ auribus insonuerit. Ne verò vanis tantummodò & incertis rumoribus (quales vel loci distantia parere potest) diutius tibi sit fluctuandum, hæc quas leges Epistolæ communicandas tibi duximus, ex quibus, quo animo res ab utraque parte agatur, haud difficile animadvertes. In disponendis temporis non dignitatis sequimur rationem. Literis Synodi Varsaviensis addimus programma, quod videlicet Episcopus Vlnensis publicandis iisdem præfigi curavit, idque nè qua Dissidentium querelæ respiciant ignores. Imperiosè satis conceptum vides, & à mente Synodi (nisi me omnia fallunt) quam longissimè, Synodus quippe Charitativum urget Colloquium, programma tantorum scelerum reos ad iudicium vocat, igni dubiò procul cremandos. Amens sit, qui non hic, vel intempestivum zelum, vel secretioris consilii arcanæ, per imprudentiam prodita observet: adè ut æquo major Dissidentibus suspicandi sub sit ratio, veranè sint illa quæ passim tanta cum modestia in literis suis spargunt Patres Synodi. Verùm hæc eventus probabit. Tu si Christianus es pacem Ecclesiæ Catholice precare.

EXIV 400  
me not,  
abior

ABRAHAMVS VVOYNA  
 Dei & Apostolicę Sedis gra-  
 tiâ Episcopus Vlnensis.

**N**overint Universi præsentis literas nostras inspe-  
 cturi, quomodo nos satisfaciendo Decreto in Sy-  
 nodo Provinciali, in Anno proximè præterito die  
 12. Mensis Novembris, ab Illustrissimis & Reverendissi-  
 mis Dominis Episcopis, Regni Poloniae & Magni Ducatus  
 Lithuaniae, atque adeò ab omnibus Prælatiis & Cano-  
 nicis Ecclesiarum Cathedralium, in & contra omnes in  
 Religione dissidentes, emanato præsentis literas nostras,  
 per Diæcesin nostram direximus, ut eò citius ad omnium  
 & singulorum notitiam perveniant, videlicet, ut omnes  
 in Religione dissidentes cujuscunq; Professionis per se, si-  
 ve per nuntios suos, in literis & sacra scriptura benè versa-  
 tos, petitis literis salvi Cõductus Thuronium, Anno 1644.  
 pro die 10. Mensis Octobris conveniant, ad docendum &  
 probandum, quomodo illi animas diversarum Nationum  
 & Regnorum, precioso sanguine Christi redemptas, falsis  
 & perversis suis dogmatibus à vera, sancta, Catholica Ro-  
 mana Ecclesia abducant, & ad barathrum detrudant, ad  
 docendam & firmandam in præmissis quam se habere præ-  
 tendunt veritatem. Cujusquidem Decreti ut in se extat  
 is est, qui sequitur tenor.

**MATTHIAS LUBIENSKI,**  
 Dei & Apostolicæ Sedis Gratia, Archiepiscopus Gne-  
 snensis, Legatus Natus, Regni Poloniae Primas, Primus-  
 que Princeps, Ceterique Regni, & Magni Lithuaniae  
 Ducatus episcopi, Varsaviae in Synodo Provinciali Le-  
 gitime congregati,

*Illustrissimis, Illustribus, Magnificis, Nobilibus, Clarissimis,  
 Spectabilibus & Eruditis Viris;*

NEC NON

*Vniuersis & Singulis; cuiuscunque Status & Ordinis, tam Sæcularibus  
 quam Ecclesiasticis, ab Ecclesia Catholica Romana Dissidentibus, in  
 Regno Poloniae & annexis Eidem Provinciis existentibus, Sa-  
 lutem animarum, & omnem prosperitatem.*

*Illustrissimi, Illustres, Magnifici, Generosi, Nobiles, Cla-  
 rissimi, Spectabiles & Eruditi Viri.*

**T***riste religionis dissidium, quod hoc Regnum, annexas-  
 que illi Provincias, uno jam sæculo fatigat, non potuit  
 Christiani Fraternelique amoris necessitudinem, quam Vo-  
 biscum, tanquam unius Regni Cives, constitutam habemus, dis-  
 solvere, neque Pastoralem de Vobis sollicitudinem ex animis No-  
 stris, quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei,  
 quam acquisiuit Sanguine suo, unquam eximere. Qua urgente  
 in hac Sacra Provinciali Varsaviensi Synodo, de eo inprimis deli-  
 beravimus, quomodo Vobis in Vnius Religionis nomen doctrinae-  
 que normam concedendi, quam ascommodatissimum & gratissi-  
 mum remedium proponeremus. Igitur ubi hoc unum non inasi-  
 tatum elegimus, Fraternelam nimirum collationem seu Colloqui-  
 um charitativum; visum est Vos Illustrissimi, Illustres, Magni-  
 fici, Generosi, Nobiles, Spectabiles, Clarissimi, Eruditi, & Vestris  
 titulis Honoratissimi, quicumque in hoc inlyto Regno Polonia,  
 Eique unitis Provinciis communi jure legibus Politicis estis con-  
 sentientes, sed doctrina Fidei dissentientes, ad illud Toronium*

*Re-*

5

Regiam Civitatem, ad diem Decimam Octobris, in anno styli  
Gragoriani Milleſimo Sexcenteſimo Quadrageſimo quarto per-  
amanter invitare. Neque vero neceſſarium exiſtimamus mul-  
tis id Vobis ſuadere, quibus ſtadium hoc Noſtrum optime, ut ſpe-  
ramus interpretaturis, propenſa Noſtra voluntas conſiliumque  
placebit, & præterea concordis religionis commoda non ignota,  
discordis contra damna ſunt manifeſta. Illud unum profiteri pol-  
licerique Vobis ſuffecerit, inſitam à nobis augendi honoris Dei, ju-  
vandarum animarum, ſtabilienda pacis publicæ rationem, ne-  
mini fore præjudicioſam Veſtrisque conſuetudinibus, immuni-  
tatis, Privilegiis minime exitioſam. Aderunt in ſuper op-  
portune, quibus liber & tutus ultro citroque com meatus patebit,  
diplomata Sereniſſimi Regis & Domini Noſtri Clementiſſimi,  
qui ut bello inclutus, ita pietatis laude inſignis in ætatum Poſtero-  
rumque omnium memoriam ibit, quod armata in ſuum exitium  
potiſſimum ex cauſa diſſonæ religionis, belloque ardente univer-  
ſa Chriſtianitate. Ille foris immota undique parce conſtituta, ad  
reſtituendam Regno Dominiſque ſuis Religionis tranquillita-  
tem, cum ipſe Regias curas flexit, tum Nos ad eaſdem agendas in-  
citavit. Adcrit etiam nomine Noſtro ad præſinitam diem lo-  
cumque, Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Georgius  
Tyzkiewvic Epicoſopus Samogitia, ingenii ſuaviſſimi & propa-  
gandi honoris Divini ſtudioſiſſimus, una cum duodecim aliis Vi-  
ris doctrina modestiaque conſpicuis à Nobis deſtinatis; qui ſingu-  
lari animi manſuetudine, in Spiritu lenitatis, ſine clamoris diſpu-  
tationibus, prætermiſſis aculeis, etiam qualibet offenſione hos ſa-  
lutares Vobiſcum habebunt ſermones. Quod ſi Vos (uti quidem  
obnixè rogamus) tales quoque deligitis, qui candido Pacis que Ec-  
cleſiaſtica cupido animo huic interveniant colloquio, proſecto  
quandoquidem Vobis in multis Fidei capitibus cum Eccleſia Ca-  
tholica videtur convenire, ubi inſuper certa pro certis utrinque  
ſtatuentur, ambigua liquidabuntur, vere controverſa Scriptura-  
rum & primitivæ Eccleſia, aliſque testimoniis comprobabuntur,

*haud difficile erit, Catholicam veritatem omnibus, quibus ejus  
 fulgor haecenus obscurari videbatur, depulsis, & quam inania  
 sint, quae parti huic imputantur, liquido perspicere, pariterque  
 Vobis & cunctis judicare, jure ne praesens secessio & olim facta sit,  
 & nunc continuetur. Si unquam fuit resumenda pacis Ecclesia-  
 stica tempus opportunius, hoc certe est, tot annorum pace felicissi-  
 mum: scilicet ut in hac placidissima temporalis felicitatis mala-  
 cia, tranquillis animis omnes dispiciant, dulcedinem Pacis reli-  
 gionis, atque alteram ex altera quarere & firmare condiscant.  
 Utamini igitur hoc bono Illustrissimi, Illustres, Magnifici, Gene-  
 rosi, Nobiles, Clarissimi, Spectabiles, & Eruditi Viri, ut vota  
 Nostra vertantur in gaudia, non Polonia modo & Septentrionis  
 Nostrae, sed Caeli Universi, sed Nationum omnium; apud quas  
 pulchrum erit funestam religionis discordiam, alibi prius cepisse,  
 hic prius desisse. Valete, acceptate, adeste in Domino. Warsavia  
 in Synodo Provinciali, Duodecima Novembris, Anno Domini  
 Millesimo Sexcentesimo quadragesimo Tertio.*

Matthias Lubienfki,

Archiepiscopus Gnesnensis  
 suo & totius Synodi nomine.

VLADIS-

# V L A D I S L A V S I V : <sup>7</sup>

*Dei Gratia*

R E X P O L O N I Æ ;

Magnus Dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Samogitiae, Maffoviae, Livoniae, Severien. Smolenscen. Czernihovien.

*Nec Non*

Suecorum, Gotthorum, Vandalorumque Hæreditarius

R E X .

Universis & Singulis Regni Nostri, & M. D. Lithuaniae & Provinciarum Eis adnexarum Incolis, ab Ecclesiâ Catholicâ Romanâ Dissidentibus, Gratiam Nostram &c.

*Illustres, Magnifici, Generosi, Nobiles, Spectabiles & Eruditi  
Viri, Sincere, Fideliter Nobis Dilecti.*

**N**imis vacuum à cura rerum humanarum & plus quam securum Sui esse oporteat, qui Magnum hunc mundi circum habens sub oculis, in quo Nationum vires & odia funestum à tot lustris certamen agunt, jamque in extremâ penè arenâ conflictantur, non stupeat, non quærat, quo merito, quovè præmio, tantum irarum conceptum, & fusum sanguinis, & tantum opum exhaustum est? Vacillant revulsi Europæ cardines, & ægrè criminum pœnarumq; sustinent pondus, colliduntur inter se Regna, & fatales ictus ingeminant, ardent Provinciae, fumant campi, prostrata & exanguia Civitatem jacent cadavera, superstesque & cladis suæ artifex Orbis miratur, aut extra se quidquam esse, pro quo depugnet, aut, intra se, quod nõdũ tãtâ cede possit cõficere. Magnis certè malis ingentes subesse causas necesse est, quarum alta origo, non tantum in veritate temporum, sed in judicantium etiam manet affectu. Nos autem ita judicamus, jure meritò illos

tò illos pulsari, & bellorum tumultu illos concuti, laxata-  
 que velut compage turbam calamitatum admittere, qui  
 Præsidium & Condimentum vite, felicitatisque Nutri-  
 cem, Pacem & Unitatem neglexerunt, ut non propriam  
 tantum criminum expient labem, sed illorum quoque pœ-  
 nas luant, in quorum erroris, si non conscientiam, certè he-  
 reditatem successerunt. Quam primùm igitur, Fatis per  
 libera Utriusque Gentis suffragia, ita volentibus, Amplif-  
 simi hujus Regni Sceptra suscepimus, dignissimam Ma-  
 jestate Nostrâ & spe Populorum curam cogitatio-  
 nemquè duximus, ut Pacis fructibus, Subditorum No-  
 strorum desideria reficeremus. Eo nimirum fine, ar-  
 duis periculis Caput objecimus, ornamentisque Pa-  
 triæ sudorem Nostrum impendimus, & postquam, (co-  
 natus Nostros Divinâ promovente clementiâ) armo-  
 rum Nostrorum justitia, latè Septentrionem perdo-  
 muit, ob Oriente Thracem repulit, Occidentiquè  
 Nostro hostile exemit frenum, tandem non vulgari-  
 bus donis, pacem persuasimus, ut novo ad Nos fœdere  
 concederet, leni otio & artibus Nos demulceret suis, lu-  
 straque pœnè integra Nostris Penatibus daret. Itaque,  
 quod nemini insultantes, sed Divinum in Nos beneficium  
 claris laudibus extollentes dicimus, Nobis, Vobisque lu-  
 ctuosum agonem Gentium, licet adhuc impunè spectare,  
 & studia dare negarequè certantibus, quasi què minus de  
 Divinâ justitiâ meriti simus, inter procellarum fluctus, &  
 natantia vota Vicinorum, Pacis portum occupare. Qua-  
 re cùm istam Horizontis Poloni malaciam, propitii Numi-  
 nis munere Gentis Nostræ serenare fortunam, certò apud  
 Nos statueremus à temporalis Pacis dulcedine, ad eam  
 quam Divinus spirat Amor, Pacem animorum internam,  
 quâ Summi Dei gloria, Animarum salus, Christianique  
 Nominis decus continetur, cogitationem convertimus,



parum Nos ejus quo fruimur beneficii, gratos fore arbitrati, nisi quantum Nostræ vires, & pius voti candor permittit, Cælo pacem redderemus, quod Terras Nostras optimis fructibus fecundavit. Malè enim creditur, diuturna vitæ commoda & tranquillitatem illis inservire, qui ista non muniant præsidio intestinæ securitatis, & res miraculo proxima est iis qui discordes ad cælum preces porrigunt, concordia fortunæ oracula respondere. Iam universo notum est, & omni clarius arcanum documento, cruenta Christianitatis odia quibus finem tutumve remedium, humana prudentia excogitare nequit, non ex alio uberius fonte promanare, & incrementa in dies sumere, quàm ex Religionis dissensu, dum quod author Concordiæ Deus, pro Sanctissimo atque tenerrimo vinculo, animis mortaliu dederat, id pater discordiæ Satan, in exquisitum, injuriæ, odii, & suspitionis abusum convertit. Etsi enim multæ olim inter vicinos ultrò citroquè bellorum causæ extiterint, illæ tamen plerumquè breves, aut post longiorem luctam honestis terminatæ conditionibus, ista sola ex omnibus causa est, à quâ nunquam recedit timor, cui nunquam succedit fidus, cui nullum par lucrum, cui nulla digna commutatio, cui summa omnia submitunt caput, dum dissidenti quisquè metu rem delicatissimam tuetur, cui belli pericula, quam Pacis consilia judicat esse tutiora. Quod fatale infortunium ut ex animis Nostrorum Regnicolarum, Provinciarumque Regno huic Unitarum, aliquando pellatur, utquè sententiæ hucusquè discordes, & disparia doctrinarum principia, in mutuam fidem & unionem sensus suaviter redigantur, Nos, quibus Populorum Divinâ dispositione Nobis creditorum, omni sui parte constans integritas in primis cordi esse debet; cùm in Novembri proximè lapsò, Synodi Provincialis Varsavię celebrandæ tempus appeteret, animorumque non armo-

rum bellum sciremus esse componendum, Pacis hoc resu-  
 mendæ Ministerium Reverendissimis Dominis Episcopis,  
 quibus Ecclesiæ gubernandæ munus, Spiritus Sanctus cre-  
 didit, eo qui Regem Catholicum & Populi Sui felicitate-  
 tem unicè amantem decet Affectu & Fide per Legatos  
 Nostros exponi fecimus, paratamquæ in animis eorum,  
 Sancti desiderii reperimus segetem, utpote quibus inter  
 Pastoralis sollicitudinis capita, istud non occurrit primum,  
 sed recurrit perpetuum, ut & quæ à Patribus in depositi fi-  
 dem acceperunt, integra servant, & quæ temporum ho-  
 rum statum concernunt, Nobis decora & commoda, &  
 planiora Posteris, cultioraque transmittant. Id exoptatur  
 à Nobis, id agitur, ut dissectum dissonis opinionibus My-  
 sticum Christi Corpus, Unitati pristinae restituatur, sæva-  
 que Religionum dissidia, quæ Vicinum undiquaque con-  
 burunt orbem Fraternalis Charitatis dulci remedio, & quæ  
 ad istam animos disponere possunt, mediis, placidè sopian-  
 tur. Quamvis autem nihil propè intentatum hucusque  
 sit, quod non isti fini, anxia de Filiorum Salute, & Voto-  
 rum penè lassa, Ecclesia adhibuerit, & Advocatis infeli-  
 cis discordiæ, superflua videri possit, Pietas hujus reconci-  
 liationis; indefessus tamen & altioris spei potens Genius,  
 Polonæ, sed multo magis Christianæ charitatis, Nobis i-  
 stam suasit fiduciam, ut dubitare Nobis non liceret, quin  
 corrigere possit infinita Dei bonitas, quod aliquando fini-  
 enda inimici corruptit iniquitas. Eadem enim Nobis ori-  
 go seminis est, cujus memoriam hucusque in Christiani  
 Nominis Sacramento conservamus. Una Nos peperit o-  
 lim Mater Ecclesia, Christi sæcunda Sanguine, Unâ Nos  
 legis & instituti mente, tot seculorum rexit Authoritas;  
 sed diversæ educationis instituto, & ejus, qui à principio  
 fratrum accusator fuit, artibus effectum est, ut in diversa  
 abirent, & nomen discordiæ darent, quos in concordia  
 sub-

subsidium primitivus amor genuerat. Magnum Cœli  
 Terreque detrimentum, Nostro pariter Vestroque dolore,  
 & Christi Summi Pastoris Ovium, miseratione dignissimum. Id Nos, quantum in Nobis est sarcire, id Nova  
 Antiqui Fœderis redintegratione reparare cupimus. Divinumque imploramus auxilium, quod aurâ spei benignę  
 vela Nostræ cogitationis impellit. Verum enim verò, cum  
 tot eruditissimarum scriptionum, concionum, privato-  
 rumque alloquiorum, angustum admodum, & impari  
 labori fructum hæctenus experti simus, morbus autem opi-  
 nionum, in universum corpus longè sparsus sit, & particu-  
 lari remedio nequeat persanari, tale Nobis, nisi actum vel-  
 lemus agere, illud quærendum fuit, quod in omnes Regni  
 Nostri Provincias Populosque, vim salutis queat diffunde-  
 re. Nihil autem insignius natura, ad celebrandum animo-  
 rum commercium dedit mortalibus, quam sermonis munus,  
 si ora oribus, vocesque conferant vocibus, & si verba  
 desint, tacita frontis oculorumque lectione, veritatem af-  
 fectuum, & sensuum fidem explorent. Cum genus hu-  
 manum Æternus Filius Patri reconciliaturus esset, Ver-  
 bum ad Nos in Carne venit: unde Nos magna & fausta  
 ducit exempli autoritas, ut cum inter Nostros & Vestros  
 de reconciliatione Sententiarum & Pace animorum agen-  
 dum sit, colloquium inter Vos Amicum & Fraternaliter in-  
 stituatis. Cui negotio, ut quam brevissimis spatiis ad ex-  
 peditum finem decurrat, ex consensu Sacræ Synodi Var-  
 saviensis R. R. D. D. Episcopi, è medio sui R. D. Georgi-  
 um Tyszkievicz Episcopum Samogitiæ deputarunt. E-  
 umque congressus istius à parte suâ Directorem constitue-  
 runt, delectis insuper duodecim Viris doctis, rerum harum  
 peritis, piis & moderatis, laborisque patientibus, qui ad  
 10. Octobr. Styli Gregoriani anni hujus, Toronium in  
 Prussiam Regalem (quod Conventui huic celebrando

commodissimum judicavimus ) congregati , Sin : & Fid. Vestras, numero, suffragiis & omni pares apparatu opperientur. Adjungemus Eisdem, pro consilii Nostri sententiâ, Viros ex Senatorio Ordine, ritus utriusquè præcipuæ in Regno Nostro authoritatis, qui actionum Testes sint, omni exceptione Majores, idquè agant & observent, ut placidis affectibus, & decenti morum modestiâ, sine aculeis, acrimoniâ, & irritamentis ab utrinquè agatur. De reliquarum autem numero personarum, quos laboriosa hæc functio, pro subsidio, aut supplemento requirit, deque comitatu, salvo conductu, de immunitate Provinciarum & Privilegiorum, cæterisque modis tuendæ publicæ privatæque securitatis, peculiare rescriptum, ex Cancellaria Nostri, Sin : & Fid: opportunè promulgari jubebimus. Prodit ergo jam ad Vos, Filii, Mater Ecclesia, multis onusta seculis, atrocibus vexata injuriis, innumeris saucia vulneribus. Secula superat vivacitas, injurias condonat charitas, vulnera sanat patientia. Solum dolorem ars nulla lenire potest, dum diminutâ prole, alterius lateris orbitatem mærens ostentat. Observat anxia ventos, frequenter litrus, expectat redeuntes in Patriam, à longâ peregrinatione Filios, passisque obvia manibus, jam in prospectu cunctantes, ad lumina, ad oscula, ad Pacis hæreditatem, toto Vobis interceptam seculo, vocat. Eadem votorum Nostrorum summa est, quæ charitatis ad Vos oratio, quam Nos ardentibus & sinceris provehimus ad Vos suspiriis, quibus utinam aliquando pectora Vestra incalescant! Iam supra seculum aliquid CHRISTO debetur. Et ne forte, tam illi, quorum maximè interest, quam Nos, à quorum publicæ curæ autoritate nequeunt separari, dum seculorum agentur rationes, in debiti istius accusationem veniamus, ecce & illi, Pastorale fastigium ad libertatis æquilibrium, quantum illis licet, & Vobis expedit, demittunt,

pandunt Vobis sinum in patientiâ probatæ Charitatis, portas Vobis & parietes referant, quos capaces plurium, Majores Nostri erexerunt, Vos, si patimini nomen, ut Filios, aut si Fratres appellari mavultis, ut Fratres ad salutaris & honorificæ reconciliationis consilia invitant, & Nos Regiam Nostram Dignitatem, cum mansuetudine Paternâ permiscentes, Sin. & Fid. Vestris ut Subditis Nostris dilectis, fructum & ornamenta publicæ Pacis, & quicquid Nos habemus carum, & si quid Vos censetis speciosum, Regiâ manu offerimus. Denique promittimus verbo Regio, & protestamur coram Deo, Nos in propositi operis instituto, nihil magis intendere, nil conari, promovereque, quam ut Christus Regum Rex in Pace imperet, qui Nos in exoptatâ Pacis possessione collocavit; ut profligatâ omni dissensionum materiâ, animisque novo Amoris incremento fideliter sociatis, Unâ fide colatur, Unoque ore laudetur Deus, ut Vos in inclyto hoc Nostro Regno, tam numerosis confiti Provinciis, unius Regis imperio, unius fructu libertatis, tam multiplici carissimorum pignorum necessitudine devincti, non amplius piis Majorum Vestrorum iniqui manibus, Vobis autem per omnia pares & æqui, perpetuâ florentes felicitate vigeatis. Interim Sinceritates & Fidelitates Vestras benè valere cupimus. Datum Vilmæ, 20. Martii Anno Salutis 1644.

Uladiſlaus Rex.

B 3

Sacrae

*Sacra Regia Majestati Domino, Domino*

# ULADISLAO I V.

*Dei Gratia*

R E G I P O L O N I A E,  
Magno Duci Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae, Sa-  
mogitiae, Livoniae, Severiensis, Smolenscensis,  
Szernihoviensis;

N E C N O N

*Suecorum, Gotthorum, Vandalorumque Hereditario*

R E G I.

*Domino, Domino Nostro Clementissimo: Nomine Evangelico-  
rum ab Ecclesia Catholica Romana, in Regno Poloniae, & Magno  
Ducatu Lithuaniae Dissidentium, ex Colloquio Orlensi per  
Delegatos Ipsorum habito, Anno M DC XLIV.*

*Humillimi Responsi Libellus.*

**M**olesti procul dubio S. Majestati Tuae essemus INVIC-  
TISSIME REX, vel quod majoris & mereris OPTIME  
PRINCEPS, vel quod Tuae Majestati maxime conve-  
nit, MITISSIME Populorum Tuorum PATER VLADI-  
SLAE, Domine, Domine Noster Clementissime, si ad Literas Ma-  
jestatis Tuae Vilnae datas, quas a miseratione Gentium ob dissi-  
dia Religionis sub cladibus Belli pereuntium, incipere ad Nos  
Subditos Tuos voluisti, Responsum Nostrum a celebratione  
Virtutum, & Rerum per Te feliciter gestarum, more in allo-  
quendis Regibus usitato, vellemus exordiri. Nempe humilia  
Majestati Tuae videntur illa, quae in Terras Tuas contulisti me-  
rita, & beneficia: Iam altius assurgis, & quanto pietatis pignore  
Caelum ipsum obligare Tibi debeas, Augusta Tua mente, quae  
Sola tantarum cogitationum est capax, circumversas. Ergo nec  
Victorias Tuas ex immanissimis partas, nec Vitam pertinacissi-  
mis

mis donatum, nec Pacem cum praemio belli elatissimis extortam  
 Hostibus, commemorabimus; sed Tuæ bonitatis secuti Exem-  
 plum, ad acerbissimas Vicinorum Populorum calamitates, se-  
 rio sincereque ingemiscemus. Licet vero ad praesens, quo Euro-  
 pa ardet, incendium, multa per intervalla annorum causa con-  
 currerint; originem tamen, aut certè pretextum, à Religione i-  
 gnem hunc traxisse, nemo est qui ignoret. Cum enim non ratio-  
 ne, sed ferro; non Divinis Scripturis, sed cruentis edictis, decer-  
 neretur; cum non sanitas eorum, qui morbi arguebantur, sed in-  
 ternecio, quaereretur; cum alteri dare, alteri perdere nollent il-  
 lam, quam Solius Dei imperio teneri Caesarum & Regum optimi  
 dixerunt, CONSCIENTIARVM LIBERTATEM; factum est,  
 ut illos vincendi ardor, hos moriendi pro tali causa voluptas, in  
 tam tristes rerum vicissitudines impulerit, ut mæstus & attoni-  
 tus Christianus Orbis timere incipiat, ne non cessantibus tanto-  
 rum odiorum furoribus, mox desinant, tam qui vincere volunt,  
 quam qui Victorum arbitria pati non possunt. Sed jam à retro-  
 actis seculis Divina miseratio benigniora de Patria Nostra cogi-  
 tavit consilia, dum Sacris Nostris Regibus Maternæ D. Parentis  
 Tui Stirpis Auctoribus, tum & Populis Eorum imperio subje-  
 ctis, eam inspiravit mentem, ut & domi Græcæ Ecclesia à Latina  
 diversitatem placidissime ferrent, & foris dura illa a versarentur  
 Exempla, quæ in Vicinos, nullius in Deum blasphemiae aut con-  
 tumelia, aut tactorum Christianismi fundamentorum reos, sed  
 tantum Ecclesiæ emendationis cupidos (ut ex Catholicis illius &  
 posterioris ævi Scriptoribus accepimus) statuebantur: Et licet in  
 gratiam alicujus rigide aliquid sanxissent, nunquam id tamen  
 suo Regali brachio exsequi, vel erroris insimulatos in gremio Rei-  
 publ. quari, & ad supplicia trahi permittebant. Notamus & id,  
 quod eo maxime tempore tanto veritatis noscendæ studio exarse-  
 rint, ut Sacrorum Bibliorum Codicem, ante in Lingua vernacu-  
 la vix visum, Anno 1455. Patrio idiomate in usum Sacræ Re-  
 ginæ descripserint, postea, cum altero seculo totus ferè Mundus in

exitium Eorum, qui (similem ob causam) ab Ecclesia Romana  
 sese alienaverant, commoveretur, cum Oceano & Adriatico  
 mari adjacentia Regna Concilii Tridentini, primum ex unius au-  
 toritate agendi, postea stabiliendi causa, funesta inter se foedera  
 sancirent, sapientissimus Proavus Tuus SIGISMUNDVS I. &  
 Filius Ejus SIGISMUNDVS AVGVSTVS R. R. cum pruden-  
 tissimis Ordinibus non tantum illis nexibus se suosque implicari  
 noluerunt, sed potius cum viderent Sui, Suorumque ab illo Con-  
 cilio parvam rationem haberi, temporibus illis ad asserendam  
 Regum autoritatem, ad lustrandas à Crucigeris, hominum gene-  
 re religiosissimo, suas ditiones, ad promulgandas Leges, brachio  
 Sedis Romana ingratas, sed Reipub. utiles, denique ad permit-  
 tendam Conscientiis hominum in Religione Libertatem, usi  
 sunt. Cum vero hæc Regum ac Majorum Nostrorum Providen-  
 tia, ac Moderatio non satis æquis judiciis traduceretur, adeò Or-  
 dines Reip. illa judicia non extimuerunt, ut ultimo Jagellone ex-  
 tincto cum Reipub. liberrimam de Statu suo statuendi haberet  
 potestatem, nec aliud Tegumen (vel patrio nostro sermone Kap-  
 tur) salutis & libertatis Vniuersorum, quam illam Sanctam, &  
 omnibus vicinis invidendam PACIS ET TRANQVILLITA-  
 TIS DISSIDENTIVM IN RELIGIONÈ CHRISTIANA CON-  
 FOEDERATIONEM condiderint, ac Reges Suos non alio An-  
 nulo, quam, cui illa inscriberetur, desponsari sibi voluerint, im-  
 mō ne ulla potestas supra Reges sese attollens tam grande solveret  
 Sacramentum, meministi REX INVICTISSIME, quibus ver-  
 bis (verba enim illa proculdubio, non in solo Legum Codice, sed  
 in Regio Corde Tuo Divino digito insculpta manserunt) in fine  
 Regii juramenti prospexerint. Quo unico remedio, non armis,  
 non seditione, non post tristia virium experimenta, sed ante om-  
 nem dissidii aleam sponte inter se constituto, non tantum PA-  
 TRIÆ, tam vasta Terrarum spacia, tam diversas Nationes,  
 Linguas, Leges, Mores, Ritus, Magistratus complectentis, or-  
 bitatem sub Interregnis ab omni vi externa tutam & securam,

sed



*sed etiam Vniuersorum Libertatem & Tranquillitatem domi  
 inconcussam retinuerunt : & quod inter arcana Politica cense-  
 ri potest, Religionem Romanam, ac Ecclesiasticam Dignitatem &  
 Eminentiam, quæ nunc alibi sub onere Victo-  
 riarum Catholica-  
 rum agrè spirat, conseruauerunt ; & non quærendi, sed ex Suorum  
 Regum sanguine, qui subditos Religione dissidentes, sed Fide &  
 obsequio, concordēs & pares, paterno affectu complexi sunt, Prin-  
 cipem vacantibus Sceptris sumendi, genium & consuetudinem  
 liberrimæ Genti instillarunt. Hæ Polonorum & Lithuano-  
 rum fuerunt artes, hæ Majorum Tuorum virtutes, quibus per in-  
 tegrum seculum Religiosi belli facem à finibus suis arcuerunt. In  
 quas cum Majestas Tua liberis dissidentium Religionum suffra-  
 giis successisset, parum duxit eas potenter manu tenuisse : ( quæ  
 maxima est felicissimi Tui decennii gloria ) sed insuper diuersos  
 de Sacris sensus conciliare & ad posteritatem Fidei & Ecclesie  
 Vnitatem transmittere, instituit. Magnum opus, & non modo  
 dignitate, sed Diuinitate Regum, quam Vobis vox Dei commu-  
 nicat dignum. Sed providendum Domine Noster Clementissime,  
 ne inde maximas difficultates experiaris, unde minime expectas.  
 Cui enim est ignotum, alteram partem, cum alios non tantum e-  
 mendare, sed etiam iudicare velit, se ipsam ad ullum æquili-  
 brium demittere nolle ? Tales quomodo ad justam & legitimam  
 Conciliationem permoueris ? Conciliatores, tanti operis Maje-  
 stas Tua proponit, Reverendissimos & Illustrissimos Regni &  
 Magni Ducatus Præsules, Viros in Patria summos, meritis am-  
 plissimos : Sed an illis iuramentum Sedi Romanæ præstitum, in  
 quo nec Tui, nec Patriæ, nec Legum Reipubl. ullam legimus men-  
 tionem, impedimento ad Colloquium Liberum non sit futurum,  
 iudicio Majestatis Tuæ subijcimus. Insuper Præsidem Conuen-  
 tus Majestas Tua nominat Virum Illustrissimum & non minus  
 Episcopali, Senatoriaque dignitate, quam probitate morum con-  
 spicuum : sed quamvis alteri parti alter concederetur Præsides  
 ( quod unice in ejusmodi congressibus requiritur ) quis tertius*

*discordiam eorum compositurus esset? præsertim si ad Colloqui-  
um, posita certa decernendi de Controversiis Regula, per Theo-  
logos utriusque partis descenderetur. Nec latet Majestatem  
Tuam Regiam, quanti minora Ordinum & Subditorum Tu-  
rum desideria, & postulata Romæ quandoque fuerint habita. O-  
ptime quoque novit, de ulla etiam minima re, sive decimas, sive  
prescriptiones, sive commutationes concernente, Illustrissimum  
Archi-episcopum Gnesnensem, licet Legatum Natum, & Pri-  
matem Regni, cum universo Illustrissimorum Episcoporum Col-  
legio, nullas conventiones, ne quidem cum Catholicis personis,  
& cum utilitate Ecclesiæ conjunctas, libera auctoritate inire pos-  
se: Immò (quod non invidia, sed necessitatis causa scribi à No-  
bis, coram Deo protestamur) gratitudinem, quam Tibi obvius  
ulnis tota nuper obtulit Respub., inconsulta Sede Romana, de pro-  
priis suis redditibus, qui alioquin in liberrima unius cujusque Ec-  
clesiastici sunt dispensatione, aequaliter cum Concivibus suis con-  
cedere non potuisse: quamvis credamus illos, ne vitæ quidem, &  
sanguini suo, pro Tua Majestate, parsuros. Nec id adhuc obli-  
vione sepulchrum, quod Scholas, Ingenia, Typographias, Fora do-  
mestica, & externa, Comitia, Interregnum fatigavit: nempe  
Academiæ Cracoviensis, tot Legibus & Privilegiis munita, Li-  
bertatem & Pacem, tandem non domi, sed Romæ, tum ab Aca-  
demicis exorandam, tum Auctoritate Tua, Illustrissimique Le-  
gati Tui prudentia, vindicandam fuisse, Taceri denique non de-  
bet, quod Annales nostri loquuntur, quale Responsum ex ore Le-  
gati Romani, Regiæ aures Abavi tui, D. CASIMIRI, ob di-  
gnitatem Ecclesiasticam, præter mentem Summi Pontificis à Re-  
ge collatam, audiverint. Hæc & alia, quæ brevitatis causa o-  
mittimus, quantula sunt, si cum proposito conciliandæ Religionis,  
in qua de Capite & Summa rerum necessario tractandum esset,  
conferantur? Proinde num alius ex congressu partium præfagiri  
possit eventus, quam quod aut ipsi Conciliatores, irreconciliabi-  
lem Sedem Romanam deinceps essent habituri, aut omnia quæ  
ab*

*ab ipsis acta ac transacta fuerint ad unius Bullæ promulgationem evanescerent? Si enim Tridentina Synodus non ausa est quicquam sine consensu Sedis Romanæ statuere, quomodo Thorunien- se Colloquium, sine illo vel hiscere auderet? Dixerit ergo aliquis: Nos Subditos Majestatis Tuæ, Evangelicam Religionem profes- sos, Sanctis Tuis conatibus per ejusmodi terrores obicem ponere, ut Nos à reddenda in publico Fidei Nostræ rationes subducamus? I- sta quidem invitatio, quæ Literas Majestatis Tuæ antecessit, illa præsertim, cui Vilna etiam ignominia addita est, & contumelio- so, jugulumque Libertatis nostræ petente Libello confirmata, ita à Consuetudinibus Patriæ, Gentisque nostræ Libere Moribus pro- cul abiit, ut Nobis justissimam excusationis dare potuisset cau- sam: Sed avertat Rex Regum, DEVS, ut hoc in subterfugium vertamus: Immo per Eum, & per Ejus gloriam, ad quam & Hominem condidit, & Reges in Soliis collocavit, Te Rex Cle- mentissime oramus & obsecramus, ut propositum hoc Tuum ad Solos quidem Subditos Tuos ex Sacro ore Tuo emissum, sed jam universa Europæ auribus exceptum, magno & constanti animo prosequaris. Memento Te illi Septentrioni regnare, in quo non minus Libertas quam Magnanimitas, sæcundum Heroicorum exemplorum nidum à seculis posuere. Expectabat Terrarum Orbis, unde alterum Regni Tui decennium exorsurus esses: Nunc jam audit, & assurgit Pietati & Magnanimitati Tuæ, intentus quo evasura sunt ista, quæ mente præcepisti. Vo- luit simile Colloquium ante octuaginta sex annos D. SIGIS- MVNDVS AVGVSTVS, prompti erant ad comparendum Majores Nostri: sed cur alterius partis autoritate dissutum id fuerit, scripta illo tempore edita loquuntur. At quid impedit ite- rum id agredi? Tuæ fortassis Majestati, Tuisque temporibus u- tramque partem miserabiliter, ut ipse mones, attritam, ad con- filia Pacis moventibus, hanc fata reservarunt gloriam. Tibi ipsa Natalium Tuorum semina suggerunt hanc mentem, ut ex- emplo Avi & Proavi Paterni, laudatissimorum Regum Sueciæ;*

*Exemplo præterea Iagellonarum, & fortissimi STEPHANI  
 ac Genitoris Tui Optimi & Religiosissimi Principis D. SIGIS-  
 MUNDI III. Regum: Insuper in augustissima Materna domo  
 Tua, exemplo CAROLI V. FERDINANDI, MAXIMILIA-  
 NI, RVDOLPHI, Cesarum, sub quibus Reformatio Religionis  
 partim propagata, partim conservata est, non sis adversarius  
 cause, quæ apud Te diversimode accusatur. Tibi denique Virtutes  
 & actiones Tuæ, apud utramque partem, rectitudinis & integri-  
 tatis in hoc difficillimo negotio fiduciam facient, quod & suæ Ca-  
 tholicæ Religionis ubique satisfeceris, & in diversam, nec in acie,  
 nec in foro, gladium Tuum vaginâ eduxeris. Ibimus ergo, Rex  
 Serenissime, quando Nos Pietatis Tuæ auspiciis vocaverit. Sed  
 ibimus in conspectum Majestatis Tuæ. Cum enim videamus ni-  
 hil per duodecim Theologos, immo nec per Episcopos ob supra  
 scriptas rationes, de hac causa, in qua Reformatio Ecclesiæ (sine  
 qua Conciliatio Religionum nulla) tangenda esset, libere dici pos-  
 se; propterea Regis, non per hominis, sed per Dei gratiam consti-  
 tuti & regnantis, præsentiam imploramus. Illuc cum Illustris-  
 simi Episcopi, & Venerabiles Theologi, liberæ & omni metu so-  
 lutas Conscientias attulerint, & ad Solius Sacræ Scripturæ Regu-  
 lam, ac primæve Apostolicæ, Apostolicorumque Discipulorum,  
 & sequentium trium seculorum Ecclesiæ Mores & Instituta, &  
 juxta quatuor Oecumenica Concilia, Seque, Nosque, examinari  
 voluerint, coram Tua Majestate, tanquam Vincto Dei, salvis  
 illis, in quibus nati sumus Libertatibus, cause Nostræ à principio  
 Reformationis nunquam celatæ, aut in tenebris absconditæ, sed  
 semper & ubique in lucem, ac potissimum in conspectum Divo-  
 rum Antecessorum Tuorum productæ, bonitatem, & Majo-  
 rum Nostrorum, qui ab Ecclesiâ Romana secesserunt, innocentiam,  
 opi Divinæ fidentes, probaturi sumus. Ut autem vis & fru-  
 ctus salutaris Tui propositi, in Ditionum Tuarum omnes Subdi-  
 tos, ac in vicinas Regiones tali remedio potissimum egentes, sese  
 effundat; humiliter à Majestate Tua petimus, ut tanti negotii,  
 sub*

*sub oculis Majestatis Regiæ tractationem ad proximum Ver aut  
 Æstatem differre dignetur. Ita & Illustrissimo Regni Primati,  
 Illustrissimisque Episcopis, extraneorum Episcoporum &  
 Theologorum in hac communi causa, Consilia &  
 Sententias explorandi, & Nobis, quantulacunque Subdito-  
 rum Tuorum parti, cum exteris Ecclesiis eadem Religione junctis  
 communicandi, & earum Theologos ad spectandam Virtutis &  
 Pietatis Tuae Magnitudinem, salvo Conductu Regio ( Civibus e-  
 nim & Indigenis Reipublica presidio Legum satis prospectum est )  
 evocandi: denique sese ad conventum praparandi, & sistendi,  
 tempus concedetur. His positis, quandoquidem Majestati Tuae  
 Regiæ, solius Dei gloriæ amplificatio scopus est, magnam spem de  
 Misericordia DEI concipimus, Illum, secundum rectitudinem  
 Cordis Tui Regii, & candorem Illustrissimorum Episcoporum,  
 omnia largiturum, & Tuam Majestatem, Ordinesque Reipubl.  
 in emendanda per Majestatis Tuae ditiones Ecclesia, Legitimaque  
 & primævis Christianitatis temporibus consentaneâ Hierarchiâ  
 constituendâ, pro exemplo Orbi terrarum, virtute sua ex Alto  
 adjuturum. Sed ne quisquam suspicetur ( licet id crassissima esset  
 suspitionis ) Nos ideo præsentiam Majestatis Tuae exorare, ut si  
 forte propter gravissima Reipubl. negocia præsens esse non possit,  
 lucem & conspectum hominum hoc prætextu evitemus: Ideò  
 amplius adhuc Fascibus Clementiæ Tuae Regiæ, Nos Nostramque  
 fiduciam humillimè substernentes, declaramus, licet acerbissi-  
 mum Nobis liberis hominibus sit futurum, non coram Rege, sed  
 coram Præsilibus, Rationem Religionis reddere, & periculose  
 sinistrarum vel ambiguarum delationum aut relationum alea,  
 Nos Nostraque sponte committere, Nos ne id quidem refugituros:  
 His tamen justissimis requisitis prius à Majestate Tua suppliciter  
 exoratis. Primo, ut alteri Præsidi ex Nostra parte suffragiis No-  
 stris electo, par à Majestate Tua detur potestas. Alterum, ut non  
 solum viva voce, cujus magnam vim agnoscimus, sed etiam scri-  
 ptis, in quibus est efficacissimum contra temere negantes vel af-  
 fir-*

firmantes, vel aliorum sese vertentes, remedium & testimonium, omnia ea, quæ dicentur, parti à parte in Colloquio exhibeantur. Tertio, ut prorogatione temporis, prout supra petimus, clementer concessa, mensura quoque ejusdem Colloquii brevi aliquo temporis spacio determinetur: Nostram enim tenuitatem impari esse aliorum abundantia fatemur. Quarto, ne sibi quisquam aliquid in Nos statuendi aut decernendi potestatem usurpet. Denique post quemcumque Colloquii eventum, ut Nobis aequè ac alteri parti liceat Acta Colloquii publicare, sine ullo in Autores, in Scripta, in Typographos, & Bibliopolas, Legentesque, pœnarum metu. Verum enim vero, si tam justa & paritati Colloquiorum debita, Nobis denegabuntur; aut si per promulgationem Charitativi Colloquii, non Libertas & Pax Ecclesie, nec Abusuum Emendatio, nec Glorie Divina, sed Autoritatis humanæ Vindicatio, quaritur; Id certè nihil aliud foret, quam si vocaremur, ut instar reorum, per Confessionem, Nostros, Majorumque Nostrorum errores ac delicta expiaremur, & portam Romanæ Ecclesie, quæ ut exeuntibus, ita redeuntibus spontè patet, referari nobis peteremus. Quod quidem Nos de Tuæ Majestatis bonitate opinari nefas ducimus: sed multis experimentis contra Nos causamque Nostram ex levisima occasione præsumi, edocti; ab adversa fortuna veremur. Hic ergo figimus pedem, & Libertatem Nostram in humilitatem, Iura, in preces, Vsum & Consuetudinem Immunitatum in supplicationem vertentes, Majestatem Tuam Regiam, ad genua Ejus pro voluti, obsecramus. Primo ut ponat Sibi ob oculos, quam sæpe non lætata sit Patria Nostra, ex illa Orientalium rituum Ecclesie, plerisque invitis, reductione. Deinde, ut postulet à Nobis vitam, sanguinem, & quicquid ab honestis & in Libertate natis hominibus postulari potest, id alacriter pari cum Romano-Catholicis Fratribus Nostris fide, virtute & exemplo ( prout id semper & ubique à Nobis, Majoribusque Nostris præstitum est ) pro Majestate Tuâ, & pro salute Libertateque Patriæ,

pro-

*profundemus. Hoc vero Majestas Tua de Nobis nunquam &*  
*quoquam persuaderi Sibi patiatur, ut vel vite pretio contra*  
*Conscientiam & cognitam Veritatem, quidquam admitta-*  
*mus, vel paciscamur. Nemo Nos hinc apud Majestatem Tuam*  
*pertinacia, aut ingratitude accuset, ac si Paternum Maje-*  
*statis Tue affectum Nobis liberalissimè in Literis declaratum,*  
*aspernemur. Qui Nos enim sumus, ut tanti Regis amorem &*  
*benevolentiam humiliter non veneremur? At prospicimus, si*  
*ejusmodi quale supra petiimus, & quale olim tempore Majorum*  
*Nostrorum à Concilio Tridentino non est obtentum, Liberum*  
*Nationale Concilium, agi non potest, magis expedire, non No-*  
*bis solum, sed & Reipublica, ut hanc quam Regia Majestas sus-*  
*cepit paterna sollicitudine curam, vertat ad avertendas oppres-*  
*siones, gravamina & præjudicia, quæ passim Subditis Maje-*  
*statis Tue, juris prætextu, Religionis causa, inferuntur; & ad con-*  
*servandam, & manutenendam illam Pacem, ac Tranquillita-*  
*tem, quam Sacro Regio Iuramento, spondit. Si quæ so-*  
*lacia & ornamenta communis in se Patria Nostra complecti-*  
*tur, ea ex Lege aurea aequalitatis quisque pro meritis suis à Justi-*  
*tia & Clementia Tua Majestatis, cor Regis DEO inflectente,*  
*expectabit. Si vero quid adversi ( quod sub justissimo Tuo*  
*Imperio non metuimus ) imminebit, Nobis tamen pretiosius e-*  
*rit, in domo Luctus, cum bona Conscientia versari, quam in*  
*domum gaudii cum pudore & extremi Iudicii metu commigra-*  
*re. Hac Serenissime & Potentissime, Rex, Domine Domine*  
*Noster Clementissime, ad Literas Majestatis Tue, Nos Subditi*  
*Tui, hic Orbe necessario ad communicationem sententiarum,*  
*sine qua, nec Majestati Tue, nec Illustrissimo Senatui Eccle-*  
*siastico, responderi potuit, ex Ordinarius, Trium Provinciarum*  
*Synodis Evangelicis Deputati, humillimè respondemus; Ac*  
*Nos, Salutem, Libertatemque Nosram Majestatis Tue Cle-*  
*mentia & Protectioni commendamus: Regem Regum precati, ut*  
*plurimis Imperio Tuo additis annis, dotes illas, quas in Maje-*  
*sta-*

*statem Tuam contulit, ad illustrandam gloriam & Veritatem  
suam Calestem, & ad terrendos Majestatis Tue & Patrie No-  
stræ hostes, adeoque ad amplificandam Vniuersi Orbis felicitatem,  
convertat. In quorum omnium fidem humillimas istas Li-  
teras, Nobis consentientibus & committentibus subscribit.*

Sacrę ac Serenissimæ Majestatis Vestrę  
fidelissimus Subditus.

*Et humillimus seruus*

**Ianufzius Radziwil,**

*Director Conuentus.*



ILLUSTRISSIME ET REVERENDISSI-  
ME ARCHIEPISCOPE GNESNENSIS,  
REGNI PRIMAS, PRIMEQVE PRIN-  
CEPS, CÆTERIQVE

*Illustrissimi & Reverendissimi Regni & Magni Ducatus  
Lithuaniae Episcopi, Domini & Amici ac Fratres  
Nostrī observandissimi.*

**P**ostea quam rumor de Colloquio in causa Reli-  
gionis inter Dissidentes, ex sententia Synodi Var-  
saviensis Anno præterito celebratæ, ineundo, per  
Poloniam, Lithuaniamque spargi cœpit, cum omnium  
hominum animos novitate rei tactos reddidit, tum in  
Euangelicis ( prout illi, quibus aliquid dolet, in spem &  
metum prompti esse solent ) spem geminam excita-  
vit. Aut tempus sub altero felicissimi Vladislaviani  
imperii decennio imminere, quo iterum Deus amplio-  
rem viam in Patria Nostra, aperire velit illi cælesti  
suæ Veritati, ad cujus inermem sonitum tot Reges &  
& Regna, tot Principes & Ditiones, tot Episcopi & Eccle-  
siæ olim steterunt, & soli DEO sponte dederunt gloriam,  
quot ullis armis, aut exercitibus, aut cædibus, ad Religio-  
nem compelli invitos potuisse, nulla unquam ætas memo-  
ravit: Aut saltem illud venisse tempus, quo Prudentissi-  
mus Senatus Ecclesiasticus, ad Sacra juramenta Regum,  
ad Generales Confirmationes Jurium, & ad Unanimes  
Ordinum Confæderationes respiciens, cogitet & medi-  
tetur; eas à neglectu vel senio, quod contraxisse videntur,  
vindicare, & in Euangelicos, toto hoc seculo nullo jure  
fatigatæ Patriæ reos, diversis potius patientiæ experimen-  
tis fatigatos, abundantiora Paterni & Fraternalis affectus sui,  
testimonia effundere, placidioremque rebus Eorum con-  
cedere temperiem. Sed cum jam ipsa Invitatio, nomine

Illustrissimarum & Reverendiss. D<sup>n</sup>inationum Vestra-  
rum

rum scripta in lucem prodiret, illicò ipsa ejusdem, præsertim illa quæ Vilnæ facta est, publicatio, spes Nostras labefactare, & pro illis hanc cogitationem pectoribus Nostris incutere cepit, ne forte eo res deducatur, ut Conscientiarum Libertate exuti, ad Ecclesiam, cui Majores Nostri justissimas ob causas renuntiarunt, quoquo modo retrahamur. Nam cum Illustriss. & Reverendiss. Dinationes Vestræ æqua judicii lance negotium id expenderit, animadvertent, in Patria Nostra, ad Literas, solâ Authoritate Senatus Ecclesiastici emissas, in causa Religionis comparere, rem satis per se esse novam, & præjudicio non vacuam, ideo saltem molliori, moribusque Libertatis convenientiori modo, Nobis intimandam fuisse judicabunt. Accedit, quod ex ejusmodi Invitatione, tam pius in reducendis Nobis ad Ecclesiam Romanam in quorundam animis exarserit zelus, ut talem contra Nos, Vitamque Libertatem, & Securitatem Nostram, nisi Nos reduci patèremur, sub clypeo Authoritatis Vilnæ evulgârint Libellum, qualem non ab hominibus in Patriis Legibus perfunctoriè (quod etiam in bonis tolerandum quandoque est) versatis, sed Patriarum Legum prorsus inimicis, proficisci debuit. Summam ergo æquitatem & integritatem, Vestram Illustrissimi & Reverendiss. Patriæ Nostræ Antistites, appellamus, an potuerit Nobis alia tum mens esse, quam quæ liberis & pari Vobiscum sanguine cretis hominibus esse debuit, ut nimirum aut taceremus ad Literas, aut denegaremus Nostri præsentiam? Sed provida Sacræ Regiæ Majestatis, Domini Nostri Clementissimi, Pietas & Sollicitudo in remedium ejusmodi doloris & contemptus Nostri subsequuta est, cujus Literas Regias Vilnæ Mense Martio scriptas, & postea typis vulgatas, cum alii Nostrium præterito Mense Junio, alii subsequenti Julio, nacti essent, nec æquum, nec amori & obsequio Nostro in Pa-

trem Patriæ Nostræ consentaneum esse duximus, si coram Sua Majestate Fidei & Religionis Nostræ rationem reddere hac occasione recusaremus. Communicatis igitur, quantum angustia temporis ferebat, non quantum rei magnitudo postulabat, inter Nos sententiis, ad diem D. Bartholomæo sacram, ex Majori Minorique Polonia, & Mag. Lithu. Ducatu huc Orlam convenimus; ut tum Regi, Domino Nostro Clementissimo, tum Vobis Amplissimi Præsules, Unanime à nobis daretur Responsum, Cum vero Regiæ Majestati omnes Nostras rationes plenissimè (prout ex adjuncto Literarum exemplari patet) exposuerimus, idcirco Illustrissimis DD. Vestris satis in iisdem Nos respondisse arbitrati, Eas prolixitate seorsivi Responsi non onerabimus: Sed per omnia, tam universæ Christianitatis, quam Patriæ, quæ Vestram Nostramque complectitur salutem, sacra; & per illa magnæ functionis Vestræ Nomina, in Sacris Scripturis radiantia, oramus & obtestamur, ut post gloriâ Dei, Pacē, & tranquillitatē, Libertatē Patriæ, more Majorū, conservetis, & tueamini; alienissimūq; à Sancta Vestra Functione statuatis, de eorum præjudiciis cogitationes & Consilia suscipere, qui pari Vobiscum fide & integritate, Vestris inoffensis Dignitatibus, pro Regibus & pro Republica ubique steterunt. Hoc quoque peculiariter à Vobis Illustrissimi & Reverendissimi Domini, obnixè petimus, ut illa gravamina, quæ jam in judiciis publicis in causâ Religionis in exemplum abierunt, ea qua possunt Authoritate coercere, & in Urbe Vilnensi (ubi novos vexandorum Evangelicorum quæri & seri prætextus, hic Orle certiores facti sumus) turbas & violentias Pietate & Consilio suo antevertere & inhibere velint. Sic Nos in honore & observantia Dignitatis Vestræ, sic in studiis & obsequiis, quæcunque à Nobis Ordini Vestro reddi possunt magis ac magis perseverabimus.

Sic Vobis Patria & Posteritas laudem conservatæ Pacis publicæ debeat: Sic nomini Vestro exteræ Gentes asurgunt, & felicitæ Prudentiæ Vestræ exempla, si non imitari, certe in tacito pectore admirari & venerari cogentur. Sic totus Terrarum Orbis fatebitur, Religiosa Bella alibi ante duo ferè secula exorta, non desisse: apud Nos ne incipere quidem potuisse. Vale Illustrissime ac Reverendissime Primas, Regnique Prime Princeps, cum universo Illustrissimorum Episcoporum Collegio. Datum Orlæ<sup>3</sup>. Septembris Anno 1644.

*Illustrissimarum ac Reverendissimarum DD. Vestrarum  
Amici & Fratres ad Officia, & Servitia paratissimi*

*Euangelici ex Tribus Regni & M. D. L. Provinciis in  
Conventu Orlensi congregati, quorum nomine subscribitur*

**Ianufzius Radziwil.**

29

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS POLO-  
NIÆ Et Sueciæ ad literas Ordinum Euangeli-  
corum Orlâ datas.

R E S P O N S V M.

V L A D I S L A V S I V .

POLONIÆ, Et Sueciæ Rex Magnus Dux  
Lithuaniz &c.

*Regni Nostri & M. D. L. & Provinciarum eis adnexa-  
rum Incolis Augustana & Reformatæ, ut vocant,  
Confessionis gratiam Nostram.*

Illustres Magnif. Generosi, Nobiles, Spectabilis & Eru-  
diti Viri, sincere fideliter Nobis dilecti.

**A**ltius pectori Nostro insedit publicæ salutis Cura, &  
Concordiæ in animos omnium inducenda desiderium,  
quam ut morâ languescere, aut adversis quibusvis obsta-  
culis intercipi possit. Ille ipse Communis boni amor, quem in  
magnis successibus Orbi ostendimus, promovimus Victoriis, latè  
propagata per omnes regni Nostri Provincias pace fundavimus,  
& adhuc perpetuis sustentamus laboribus, quietos Nos esse non  
patitur, quin saluberrima Consilia inter varios difficultatum  
fluctus prosequamur. Didicimus hanc quærenda tranquillitatis  
Constantiam à Majoribus Nostris, quorum dulce in tractandis  
subditis studium nulli temporum decursus lassabant, nulli fran-  
gebant obices, ne suo muneri deessent, spem abipsis impedimen-  
tis, robur à periculis accipiebant.

Hos domesticos Cordis Nostri stimulos Præsules quoque Catho-  
lici acuum plurimum, qui Christiana charitatis viscera nuper  
omnibus aperuerunt, & toto animi viriumque nisu id unum jam  
agunt, Nobis strenuè Collaborantibus, ut Religionis unitatem &

pacem, summum Ecclesie Patriaque bonum postliminio reducant. Cum verò intelligerent, alios pientissimos Conatus non proficere, viam illam liberi & fraterni Colloquii toties à Vestris integro jam seculo expeitam magno charitatis apparatu patefaciunt, in spem erecti, obtineri fortasse posse per paucos, quod expe-tere debent Vniuersi, ut in eandem sententiam & amoris unitatem conspirent, & iterum vitam Spiritumque ab uno eodemque Ecclesie Corde ducant unanimes, qui in eodem Patria sinu sese amplexantur ut Cives.

Quod præclarissimum & saluberrimum prudentiæ & pietatis Christianæ Consilium nuper per repetitas literas expositum non displicuisse, atque etiam magnis laudibus & plurima gratiarum actione dignum visum esse, non sine maxima animi Nostri voluptate accepimus, denique non difficili neque frigida voluntatis Nostræ acceptatione, quam ex Vestris tum literis, tum nonnullorum nuntiis cognovimus, non mediocriter Vota Nostra excitatis.

Neque retardant Nos, quæ in quorundam literis Calensiore, quam optassemus, affectu & calamo deproperata, vel eorum aliquid à proposito scopo abripere visa sunt, vel Catholicorum lenissima charitati (cujus Nostra & Synodica Episcoporum epistola testis est) vehementiorem, quam res postulabat, impetum importune opponere. Verum ea, quæ dulcedinem Curarum Nostrarum distemperare poterant, libenter præterimus, & ab aliis præteriri volumus, & ita rem agimus, ut constet Orbi Christiano, pacem sincerè quæri per viam pacis. Extinctis ergo in ipso statim cinere novorum irritamentorum scintillis, ea tantum scrutamur, quæ Vos ipsi quoque in spem moderationis studiumque pacis & concordiam flectitis.

Itaque placet Nobis sincera propositi Nostri æstimatio, quam ex Regalis officii interpretatione collegistis; placet memoria libertatis, cujus pulcherrimum decus ornare Concordiâ laboramus, placet promissa ad negotium religionis tractandum prom-  
ptitu-

ptitudo, Et cum tot sint, quæ Nos ad suscepta Causa persecutionem magnopere invitent, illa ipsa tamen provida Vestra solertia, quæ jam, unde diversa opiniones componi possint, ostendit, auxilia ad firmandam Veritatem suggerit, modum agendi totiusque actionis pro parte Vestra ordinanda designat, supra modum Nos in instituto confirmarint.

Sub tot propensionis Vestra argumentis facillimum Nobis fuit, ulteriora Vestra desideria, intelligere, & favorem Nostrum Regium Vestris petitionibus inclinare. Lubenter quocirca terminum congressus & Colloquii Thorunii in Civitate Nostra Regia restaurandi, in anni sequentis, qui est salutis nostræ 1645. mensis Augusti diem vigesimam octavam styli novi Gregoriani promovemus, ut omnem interea curam Consiliaque ad commune reconciliationis nomen disponere, & eruditos Viros ad ponenda pacificationis fundamenta designare Valeatis. Proderit etiam tam ampli spatii indulgentia ad contingendam celerius amica collocationis metam: cui Nos quidem trium mensum cursum assignamus (quamvis pro tam amplo negotio angusti limites non nemini videri possint) sed illa aut citius occurret, si vacuo hoc tempore plus disceptationis inutiliumque, tricarum sepositum fuerit, aut poterit ex partium consensu proferri, ut ad instruendum labori veritatiq; amplius aliquantum liceat.

Quamvis autem Nobis placeat magis domesticam quietem per subditos Nostros potissimum tractare, ne evocata exterorum industria, quæ jam lites gravissimas alibi sustinet, tranquillitati Nostræ aliquid detrimētī afferat, ut tamē presenti negotio omnē opportunitatem provideamus, aliquos aliunde evocari posse benigne annuimus. Volent illi dubio procul, quamvis longis regionum suarum disidiis innutriti pares Vobis Nostræque paci animos assumere, & omnem sententiarum dissensionem regni Nostræ genio temperare.

Vt autem universi & singuli tempestivè intelligant, paci & securitati suæ in itinere redituque opportunè provisum esse Nos undiqua-

diquaue planissimo rerum progressui Consulentes, sine dilatione  
 & mora fidem publicam, quam saluum Conductum nuncupant,  
 dandam & concedendam esse duximus, quemadmodum tenore  
 presentium eandem omnibus & singulis, qui ad tractandum hoc  
 sacrum reconciliationis negocium undelibet legitime à sua parte, vel  
 à sua partis moderatoribus sub Augustana & Reformata Confes-  
 sionis nomine evocati vel destinati fuerint, clementer damus &  
 Concedimus, ut & integre ac tuto, absque omni impedimento  
 vel metu Thoronium adire, ibidemque tempore Constituto ma-  
 nere ac morari, & pramemoratum reconciliationis negotium  
 (is legibus & Conditionibus, quas ex legitimo & unanimi præ-  
 sidentium partiumque Consensu, & nostrorum Senatorum, qui  
 presentes aderunt, assensu saniri oportebit) tractare, & demum  
 Confeccto integrè vel ex parte eodem negotio liberè & securè abi-  
 re, & ad sua redire possint, plenissimam Verissimamque securita-  
 tem benigne impertimur. Neque verò authoritatem Nostram  
 Regiam presenti huic negotio magnopere necessariam arbitra-  
 mur, cum per Nostros utriusque ritus Senatores, quos jam de-  
 signavimus, securitati provisum sit, & à Vestro potissimum Con-  
 sensu optatissima in fidei unitatem Conspiratio pendeat. Sub ho-  
 rum presidio fas erit Constituere è Vobis moderatorem, qui se in-  
 tra Vestre partis fines contineat. Fas erit voce & scripto  
 ad arbitrium agere, tempora Colloquendi ex negotii utilitate  
 amplecti, proposita aut conciliata in publicam aliorum notitiam  
 scripto vel typo ex pacto deferre. Ex hoc Nostræ Voluntatis di-  
 gnationisque testimonio jam profeccto intelligetis ipsi, quam No-  
 bis gratum sit, singula ad spem optimi exitus disponere, quam  
 Catholicis promptum nullà duritie offendere. Non illi Vos tan-  
 quam reos ad tribunal vocant, ut edictis suis inuitos damnent,  
 sed velut ejusdem Reipubl. Civibus pacatam colloquii frater-  
 nitatem offerunt, qua liceat ad Consensum usque sensim progre-  
 di, & tandem in unum Christi Corpus Coalescere. Iam se ad  
 æquilibrium, quantum licet, & prasens negotium exigit, demi-  
 serunt,



serunt, quo sanctius utiliusque animorum evadat *Commercium*. Neque vos, ut prudentissimi estis, plura ab illis extorquebitis, ne, dum eos ab uno *Capite summo* retrahere nitimini, jam *secessionem* non *Convictis* obtrudere, & in *precium* parva *pacis* magnum *disidium* exigere videamini.

Agite quocirca sincere fideliter Nobis dilecti, atque viribus totis ad *stabilendam pacis integritatem* aspirate. Ipsi vos in manibus *calculos* tenetis, quibus *firmatam* jam *seculo uno* *discissionem* emendetis. Quod cum feceritis, non *injuria* in *Antecessores* Vestros, qui *primi* *vetustissima* *Credendi* *vincula* reliquerunt, sed *vindices* illorum eritis *Majorum*, quorum *institutionem* *proscripserunt* *poster*. Si illis *honorificum* fuit aliquando in *gremio* *eiusdem* *Ecclesie* *vixisse*, quomodo Vobis *prob*ro erit *Conatus*, quo ipsorum *reverentiam* *fideique* *hereditatem* in *antiqua* *dinturna*que *sentiendi* *Consuetudine* *queratis*?

Vtinam vero, quod unice *vovemus*, & à *Deo* *pacis* *ardenter* *exposcimus*, *Nostri* *Vestrisque* *desideriis* *omnia* *feliciter* *respondeant*: *Cederet* *dubio* *procul* *ea* *res* *Christo* *Regum* *populorumque* *Regi*, in *Christiani* *regni* *decus*, *Reipublice* in *securitatis* *solidaeque* *pacis* *beneficium*, *que* *duo* *nobilissima* *Commoda* *Nos* in *tam* *præclari* *operis* *molitione* *studiosè* *intendimus*. Interea *Sinceritates* & *Fidelitates* *Vestras* *bene* *Valere* *cupimus*. Datum *Varsavia* *1. Decemb.* *Anno* *1644.*

Vladislaus Rex.

